

tanquam communi quodam & insi-
 to consensu dirigunt: Deinde & om-
 nia fieri desuper à summo bono, hoc
 est, Deo ipso: eademq; esse & optima
 & ordinatissima. Proinde non irēt in-
 ficias, Gemmas & earū virtutes à Do-
 mino Deo esse, eumq; etiam solum
 cunctorum caussam dici posse verā,
 alias autem caussas impropriè & ceu
 per analogiam nominari non diffite-
 rentur. Veruntamen quanquam phi-
 losophis illis cognitum id & optimè
 perspectum esset, nihilo tamē magis
 conquieuit mira infatigabilisq; illo-
 rum auiditas discendi, & in suis operi-
 bus creatorem admirandi contem-
 plandiq; desiderium. Quinimò insito
 quodam cœlesti ardore vigoreq; ad
 propinquiores rerum caussas, ceu vi-
 delicet primæ illi ac veræ vtcunq; in-
 strumentarias, animorum suorum pe-
 nè diuinam atq; perspicacissimam su-
 blimitatem intenderunt. Hinc ita-
 que, cum bono, mentem, hoc est, pri-

†B 3